5

EILHARDI LVBINI
IN
Q. HORATII FLACCI ODARVM LIBRVM VLTIMVM
QVI
EPODON
inscribitur,

PARAPHRASIS SCHOLIASTICA NOVA:

In quâ retentis Poëtæ verbis, ijsq; pedestri sermoni insertis auctor hic gravissimus plenè explicatur.

ROSTOCHII
Ex Typographiâ Christophori Reusneri,
ANNO
M. D. XCVIII.

SUMMÆ SPEI, EXIMIÆ INDOLIS, ET PRÆCLARÆ DOCTRINÆ
adolescentibus

PETRO, ET VINCENTIO MOLLERIS,

fratribus germanis,

CASPARIS MOLLERI Senatoris Inclytæ Reip. Hamburgensis dignissimi filijs,

Affinibus meis carissimis S.

DE Carthagine urbis & imperij Romani æmulâ, fratres lectissimi, veterum quispiam dixit, satiùs esse nihil, quàm pauca dicere. Idem non absurdè de hoc Poëtâ Horatio mihi dicere posse videor. Nimirum cujus laudum primas lineas vix integrâ oratione duxerim, nedum hâc angustâ paginâ illas plenè illustrarim; ut qui verborum profunditate, figurarum majestate, sententiarum gravitate, in hisce Odis præsertim, vel ipsum inter Græcos laudatissimum vatem Pindarum, si non superat, certè facilè æquat. Hujus tanti au-

ri auctoris librum carminum vel odarum ultimum, quem Epodon inscripsit, perspicuâ Paraphraseos explicatione, ut à rudioribus etjam intelligi possit, à me traditum, & numerorum vinculis solutum, cur vobis suavissimi fratres inscribere voluerim, multæ mihi caussæ: potissima verò præclara vestra indoles, & ætas, non nisi optimis & hoc potissimum auctore digna. Vt jam taceam præclara optimi vestri parentis in me merita, & hanc inter nos adfinitatis necessitudinem, quorum tanquam vinculum est præclarus ille adfinis vester EILHARDVS ESYCHIVS discipulus quondam meus, amicus certissimus optimè de me meritus. Hoc ergo voluntatis meæ qualecunq; specimem ut æqui boniq; consulatis, & hunc in primis auctorem vobis commendatnm habeatis etjam atq; etjam vos oro, vos adhortor. Benè & feliciter valete. Rostochij, 6. Calend. IunI, Anni 1598.

V. Studiosissimus

Eilhardus Lubinus.

IN Q.

IN Q. HORATII FLACCI

LIBRVM EPODON PARAPHRASES.

ODA I.

AD MÆCENATEM.

Cui ad bellum Actiacum ituro, se comitem offert.

NImirum tu, ô Cilni Mæcenas, amice & patrone maxime ad bellum Actiacum navibus ex Liburniâ, inter alias turres in navibus erectas tanquam propugnacula ibis ac proficiscêris; & paratus es omne periculum Augusti Cæsaris, quod in ancipiti bello contra Antonium sustinebit, tuo periculo ferre, ac sustinere, eandemq; belli aleam, cum ipso subire? Quid interea nos amici & clientes tui agemus, qui tecum felices & beati, sine te miserì ac mortuì erimus? quibusq; te vivo, salvo, & superstite vita jucunda, sin contra gravis & molesta futura sit? quid, inquam, agemus, aut inceptabimas? Vtrumne, quemadmodum à te & ab Augusto Cæsare jussi sumus domì manebimus, carminibus vacabimus, & otium persequemur? nimirum quod nisi tecum simul, & sine te, mihi non dulce, & jucundum futurum est. An verò hunc militarem laborem unà tecum subibimus, & tecum laturi sumus forti pectore, & eâ mente, quâ decet militiæ laborem ferre viros non molles, sed laborum patientes fortes & magnanimos? At quid ulterius dubito? omnem militiæ laborem, & omne periculum tecum feremus, & quocunq; tandem ieris, forti pectore te sequemur, & si vel per altißima Alpium juga

& summitates, *vel per montem Scythiæ* Caucasum *asperrimum*, *& à* nullo *hominum* inhabitatum, vel *deniq;* usque ad ultimum occidentis *maris* sinum, *usq; ad ultimam Hispaniæ vel Britanniæ oram precedas*. *At fortaßis, tu Mæcenas* roges, *& ex me quæras*, quidnam *ego Horatius* imbellis, & corpore parum firmo *& valido* meo labore tuum *laborem* juvem, *aut quâ unquam in re meâ præsentiâ tibi prosim?* *Nimirum non tuas res aut labores juvabo, sed meam sollicitudinem & curam de te minuam: quippe qui ubi tuus* comes, *& tibi præsens ero in longè* minori metu, *& sollicitudine de te* futurus sum, qui *metus & sollicitudo* major *illos* tenet *& occupat, qui sunt* absentes. *Atq;* ut avis *præsens apud pullos suos existens*, *reformidet quidem* serpentium *pullos devorantium impetus &* allapsus, *&* inplumibus *suis* pullis *metuit quidem, proq; illis sollicita est*; *Sed* magis *tamen illis* timet relictis, *si à matre deserti, aut soli sint*: *& quæ tamen avis*, ut *vel maximè* adsit, non plus *tamen* auxilij *& præsidij*, præsentibus *suis pullis*, quàm *absentibus* allatura *est*: *sive enim mater obsit sive adsit, pulli à validiore serpente devorabuntur, nec magis præsens, quàm absens perniciē à pullis suis potest avertere*, *Te igitur persequi, stat sententia, &* hoc *præsens* bellum, & omne *aliud bellum*, *quicquid futurum est*, libenter *à me* militabitur, *& unà tecum sustinebitur*; *idq; propter nullas alias causas, sed* in *unam & solam* spem tuæ gratiæ *& benivolentiæ erga me retinendæ*. Non *enim hoc faciam* ut *plures agros plures villas tuâ liberalitate consequar, nec ut* boves mei pluribus, *quàm jam utor*, aratris alligati *in terrâ invertendâ ac proscindendâ*, *magnâ vi corporis incumbant &* nitantur; *vel ut armenta*, *greges*, & pecus *meum Lucana pascua* (*ubi major mense Iulio æstus*) *cum* Calabris *pascuis ubi temperatior aëris regio*, antè *caniculæ* sydus fervidum *& æstuosum* mutet, *nec* in Lucaniâ *solum, sed in Calabriâ quoq;* pascua *poßideam*; *quæ pro anni ratione & tempore mutare poßim*; Nec ut villâ *mea in Sabinis* è candido *marmore exstructa tangat*, *& poßeßionibus junctis* sese extendat *usq; ad* mænia Tusculi superni *& in monte siti*, quod à Circes *filio Telegono* conditum *est*. *Certè ampliores opes ac divitias à te non expeto*: *Quippe* me tua *liberalitas*, benignitas, *& magnificentia lautißimo fundo in Sabinis dato*, satis superque *& abundè* ditavit, *quod ad vitam sustentandam abundè illi sufficit*, *qui mediocria mavult, quàm nimia; nec majorem famem habet, quàm ventrem*. *Ego*

certè

certè nunquam *mihi comparavero*, *tale quid immensarum divitiarum, inutile pariter & supervacaneũ*, quod *vel* ut avarus Chremes *apud Terentium, vel Euclio apud Plautum* terrâ premam, aut *defodiam, vel quod* tanquam discinctus, *luxuriosus* & *dissolutus* nepos, *& prodigus* perdam, *ac dilapidem.*

EPODOS II.

Vitæ rusticæ laudes.

INter reliquos mortales *ille* Dijs *immortalibus propior & amicior, felix &* beatus *ex merito judicatur*, qui *optimam vivendi rationem Agriculturam* exercet, *&* paterna rura, *agrosq; à majorbus relictos* bobus suis *invertit*, *&*, ut prisca mortalium, gens *aureo sæculo vivens, justißimas divitias rustico labore è terrâ quærit, & à molestiâ urbanæ vitæ, strepitu populari*, *&* negotijs *forensibus* procul *separatus & remotus, & ab injustis mercimonijs ac lucris*, *ab* omni fænore, *aut ære in usuram dando vel accipiendo liber &* solutus, *rura quæ justâ successione à parentibus & avis accepit*, *suis bubus arat & colit*: *inq; perpetuâ pace ac tranquillitate securæ vitæ rusticæ intentus*, non *tanquam* miles *bella gerit, & sonitu tubæ in bello terribili*, *& sævo* truculentoq; classico *ad pugnam* excitatur: nec *tanquam nauta lucri spe navigat*, *&* mare *tempestatibus & procellis* sævum, *& turbulentum, naufragij metu* horret *& reformidat*, & *deniq; universum* forum *cum litibus & causis forensibus* vitat; & potentiorum civium Romanorum *magnificarum ædium* superba limina, *tanquam cliens & adulator non frequentat*; *sed liber*, *suiq; juris est. Quia* ergo *in summâ animi tranquillitate, liberrimè & felicißimè vivit, quocunq; anni tempore sua gaudia & oblectamenta habet*: *& veris tempore vinitor est, &* aut altas populos, *proceras ulmos, aliasq; arbores viduas cum* adultâ vitium propagine, *& mataro sarmento aut palmite* maritat *& conjungit*, & ramos *vitium* inutiles *& infrugiferos* falce *putatoriâ* amputans, *in eorum locum* feliciores *& fertiliores* inserit *& implantat*: aut *sub æstatem boum & vaccarum* mugientium, greges *per prata* errantes, *& armenta huc illuc per pascua discursantia* in valle reducta *& secreta ex editiori loco* prospectat; aut *dulcißima* mella *ex favis eliquata*

& expressa puris & *defæcatis* amphoris *recondit*, aut *deniq;* oves *debiles* & infirmas *detondit*, *easq;* *lanarum onere levat*: *At verò* cum autumnus mitibus & *maturis* pomis caput *suum* decoratum in arvis *agrisq;* *in altum* exseruit & *extulit*, ut *lætatur rusticus*, *quantopere* gaudet & *delectatur*, quando pyra insitiva, *quæ ante paucos annos ipse manu suâ inserit*, decerpit & *colligit*, & *maturam* uvam, quæ *eximio colore* cum *ipsâ* purpurâ certare possit? quâ te, ô Priape, *hortorum Deus*, & te, ô pater Silvane *agrorum*, *silvarum*, & finium *agri mei* tutor & *custos*, *tanquam frugum primitijs donet ac muneretur.* *Quid de alijs amœnitatibus dicam?* *quod rusticis* modo sub *quâdam* ilice antiquâ *patulâ* & *ramosâ*, modo in gramine *molli* & tenaci jacere libet & *quiescere*: interim *dum rusticus ita jacet*, aquæ *ex* altis rivis *leni strepitu* & *susurro deorsum* labuntur, aves in silvis *querulâ voce cantillant*, & fontes lymphis manantibus & *fluentibus leni murmure* obstrepunt, *quæ res* leves *faciles* & *jucundos* somnos, inducere & *conciliare possit.* At *verò*, cum hibernum anni *tempus sævit*, & Iovis *aërisq;* tonantis, & *fulmina excitantis* imbres, *grandinem*, nivesque comparat & *coacervat*: *tum rusticus venatione* & *aucupio summas voluptates quærit*, & apros *feroces*, acres & *animosos* multis canibus *ab omnibus partibus* hinc & hinc in plagas obstantes & *opposita ac objecta retia* trudit, *cogit*, & *impellit*, aut amite lævi, *vel aucupali furcâ* (*cui omnis asperitas adempta*) rara retia turdis *in olivis* & *aliâ escâ vorandis* edacibus, *per* dolos & *insidias capiendis*, *extendit*, & *suspendit*, & *meticulosum* pavidumque leporem, aut gruem advenam & *transmarinam* laqueo *aut pedicis fixis* captat, *quæ laborum rusticorum* & *impigræ venationis* jucunda *munera sunt* & præmia. *Age nonne hæc jucundissima pariter* & *felicissima?* quis *autem* malarum *illarum sollicitudinum* & *curarum*, quas curas & *sollicitudines* amor *secum comites* habet, & *quibus in urbe passim affligimur* & *torquemur*, inter hæc *oblectamenta non* obliviscitur? Quid *autem*, si mulier *conjunx casta ac* pudica, quales *priscæ* Sabinæ *mulieres quas Romulus rapuit*, *aut* uxor *cujusdam* Apuli pernicis & *impigri* solibus perusta, & *propter assiduum diurnum sub dio laborem nigra*, *nec de cute curandâ sollicita*: *si talis*, *inquam*, *pudica* & *sedula conjunx* domum *ac rem familiarem* in partem *adju*vet, & *alteram laboris portionem subiens*, *cum maritus quæ foris*, *illa quæ domi sunt*, *curet*,

& dul-

& dulces liberos *rectè nutriendo & educando marito auxilio sit, &* li-
gnis *aridis ac* vetustis sacrum *Vestæ ac Lari domus suæ* focum ex-
struat *paulo* ante adventum viri *sui, ignemq́ incendat, quo maritus ru-
stico labore* lassus *ac defatigatus, reficiatur; &* pecus lætum *& fæ-
cundum septis & cratibus è perticis* contextis claudens *mulgeat, &* ube-
ra *lacte turgida ac* distenta *mulgendo inaniat & desiccet*: & *ex* dulci
dolio vina *hujus præsentis anni* depromens, dapes non emtas, *aut
ex urbe petitas, sed domi natas, & ex horto agrisq́ decerptas* apparet?
*Certè si talem insuper uxorem consequatur, non immeritò inter mortales ju-
dicatur felicißimus.* Equidem *ego Horatius nullis, quantumvis exquisitißi-
mis epulis magis delector, quàm rustico studio ac labore ruri natis ac partis*:
Nec *ostrea* conchylia *in* Lucrino *sinu prope Bajas nata & capta*, nec
piscis Rhombus *magni precij*, nec scari *pisces in summis delicijs habiti*,
si quos *procellosa* hiems fluctibus *& tempestatibus è maribus* Eois Io-
nio & orientali ad *nostrum* hoc *Tyrrhenum* mare *impellat & convertat*,
nec avis Aphra *aut Gallina Numidica*, non *deniq́ perdix Asiatica, aut*
attagen Ionicus *mihi dulcior erit, aut* jucundior *in* ventrē meum
descendat, quàm oliva è ramis arborum *olearum* pinguissimis
collecta, aut *quàm* herba lapathi *vel rumicis in* pratis *crescentis*, &
malvæ *quæ* corpori gravi *& ægrotanti* salubres *sunt*: vel agna *à
rusticis illis diebus* festis, *qui in honorem Dei* Termini *instituuntur*, cæsa
& in sacrificium oblata, vel hædus è lupi *dentibus à pastoribus* ereptus.
Inter hasce *jucundißimas* epulas *quanto adhuc longè jucundiora alia ex-
peritur rusticus*! ut juvat *ipsum* oves pastas *& saturas è pascuis* do-
mum properantes videre! *Quantum delectat, ipsos* boves *vesper-
tino tempore rustico labore* fessos, & vomerem *aratrumq́* inversum
collo *domum* trahentes *conspicere*; & vernas *servos ex ancillis na-
tos tanquam* examen *apum*, circum *nitidos &* resplendentes lares
divitis *ac opulentæ* domus *positos & collectos intueri*! Vbi hæc *in
rei rusticæ laudem* elocutus *sum, & agriculturæ securam felicitatem,
omniumq́ rerum abundantiam ob oculos posui*, Alphius, *aut quivis alius*
fænerator, *illis quidem tantopere permotus est, ut* jam jam *injusto lu-
cro & infami fænori ac usuræ valedicturus, & prædia rusticana empturus &*
rusticus futurus *visus sit, Quo nomine* Idibus omnem *suam* pe-
cuniam *à debitoribus collectam in unam summam agros empturus & vi-
tam rusticam acturus* redegit. *Sed tamen à consuetâ vitæ conditione &*

 inju-

injuste revocari non potest; sed paulò post rursus ad ingenium redit, & Calendis *sequentis mensis pecuniam suam ante collectam rursus in fœnore* ponere quærit *& desiderat.*

ODA III.

AD MÆCENATEM.

Detestatur allium.

SI quis *imposterum omnium scelerum maxima perpetrârit, atq; adeo* parentis *sui* senio *confecti* guttur *& cervicem* impiâ *sceleratâq;* manu fregerit, *ille* olim, *non more majorum cum cane, simiâ, gallo & viperâ culeo insutus in mare proijciatur; sed posthac novo & graviori supplicio adfectus* allium edat, *quod omnibus* cicutis, *omni aconito pejus est, &* nocentius. O dura, *saxëa, & ferrea* ilia *atq; intestina rusticorum atq;* messorum, *quæ tantũ virus perferre poßint, & concoquere!* Quid *enim* hoc *virulenti, toxici, atq;* veneni *est, quod* in præcordijs *& corpore meo tantopere æstuat, meq;* sævis *caloris flammis incendit?* Num viperinus *fortaßis* cruor herbis *& oleribus* incoctus me *latuit &* fefellit, *quem inscius comedi?* *An verò* Canidiâ *famosa venefica* dapes *illas* contrectavit, *suoq; veneficio* malas *reddidit?* *Certè hoc allij venenum reliqua omnia immenso intervallo superat.* *Adeoq; ipsa* Medea *Aeætæ Colchorum regis filia venefica famigerabilis, postquam* præter omnes *reliquos* Argonautas *qui ad diripiendam aureum vellus venerant* candidum *& formosum* ducem *Iasonem amavit &* demirata est, *hujus allÿ veneni beneficio illum servavit. Cum enim Acætas pater juberet Jasonem, ut priusquam vellus aureum auferret, boves flammivomos sub jugum mitteret, ÿsq; vicinum agrum arando inverteret: illum* Iasonem, *ut* tauris *ignivomis* ignota juga *imponeret &* illigaret, hoc *allÿ veneno & succo* perunxit, *eumq; adversum omnia pericula securum præstitit.* Eadem Medea *postmodum à Iasone repudiata,* pellicem *suam Creusam Creontis filiam, quam Jason secundam conjugem ipsi superinduxerat* ulta *fuit vestibus* muneris *loco dolosè missis,* hoc *allÿ succo tinctis &* delibutis. *Quas cum induisset Creusa una cum regiâ flammis & incendio consumta est; ipsa autem Medea post hoc facinus currum* alatis serpentibus *vectum adscendens ex Iasonis oculis* per

per aëra aufugit. Neque *etjam* tantus ſiderum, *tantus Solis & reliquarum ſtellarum* vapor, *æſtus & calor canicularibus diebus* Apuliæ *aridæ calidæ &* ſiticuloſæ inſedit unquam, *aut incubuit :* Nec *deniq; veſtis illa Neßi Centauri ab Hercule venenatis ſagittis confoßi* (*quam venenato ſanguine reſparſam Neſſus moriens Dejaniræ velut amoris irritamen dederat, & quàm Dejanira à Neſſo decepta marito ſuo alterius Ioles amore detento tanquam* munus *miſerat, quo ille ad priſtinas amores rediret*) *illa, inquam, veſtis non vehementius neq;* æſtuoſiùs *in* humeris *validi &* efficacis Herculis *per venenum incenſa* inarſit, *quàm dirum illud allij venenum corpus meum inflammavit.* At *tu ô* Iocoſe *Cilni* Mæcenas, ſi quid unquam tale *allium, tantum venenum comedere* concupiveris ; *tunc pœnæ loco* precor , *ut* puella *amica tua* tuo ſuavio manum *ſuam* opponat, *teq; oſculari volentem manu objectâ impediat, & una tecum fœdum odorem allij averſata ſe longißimè à te removeat, inq;* extremâ ſpondæ *parte procul à te* cubet.

ODA IV.

IN MÆNAM LIBERTVM POMPEI MAGNI.

QVanta lupis & agnis , *canibus & leporibus implacabilis* diſcordia *& Antipathia naturali* ſorte *& inſtinctu* obtigit : *tanta* tecum mihi eſt, *ô Voltej Mæna, ſervorum quondam nequißime & vilißime ! Quippe in cujus corpore adhuc reſtant priſcæ ſervitutis documenta & ſigna, quando* latus *& dorſum tuum* Ibericis funibus *& flagellis,* & crura *tua* dura compede peruſta , *vincta & excruciata habuiſti, cujus rei vibices & cicatrices veſtigia adhuc in corpore tuo ſervas. Quamvis autem propter ingentem* pecuniæ *copiam per plateas turgidus, inſolens. &* ſuperbus *incedas &* ambules ; *interea tamen libertus es. Quamvis enim vel maxima tua ſit* fortuna, *illa tamen tuum* genus non mutat ; *nec tanta unquam erit, quæ efficiet quo minus libertus ſis, qui vilis quondam ſervus fueris. At verò, homo nequißime, nonne vides, ut homines paßim liberrimè & palam propter faſtum tuum indignentur ?* videſnè cum *velo , non* togâ *amictus , veſte laxâ amplâ & longâ* bis ter vulnarum *incedis , &* viam ſacram, *quæ ad Capitolium ducit*

am-

amplitudine vestis tuæ imples & metiris, ut *civium Romanorum* huc & huc *ab omni parte* euntium liberrima *& justißima* indignatio ora convertat, teq; *à tergo respiciat*, *tuamq; insolentiam & fastum detestetur, & in hæc verba prorumpat? Hic Voltejus Menas quondam servus vilißimus per triumviros, qui nequam servos castigare solent*, flagellis *vehementer* sectus, *& usq;* ad fastidium, *& satietatem* præconis, *qui ipsum ulterius flagellari noluerit, laceratus*, hic, *inquam, jam in Campaniæ monte, ac* fundo Falerno *mille agri* jugera arat *& poßidet*, & *viam* Appiam, *quà ad agrum* Falernum *itur*, mannis *virorum principum equis, parvis, & ad delitias comparatis* terit *& perequitat; Quin etjam tanquam nobilißimus, &* eques magnus *Romanus non in ultimis aut medijs* sedilibus, *sed* in *quatuordecim equitum* Romanorum *graduum* primis *duobus ordinibus, ubi* Tribuni *militum* sedent, *ipse quoq; locum suum occupat, idq; Lucij Roscij* Othonis *lege de theatris latâ spretâ &* contemtâ. *At quonam auspicio, & quânam imperij Romani fortunâ pirata contra piratas, latro contra latrones, & servus contra fugitivos cum exercitu mittitur? &* quid *prodest aut ad rem* attinet ora navium *ære ac ferro munita &* rostrata gravi pondere, *vastâ mole ac magnitudine ab Augusto Cæsare armari* & contra latrones, *&* servilem manum *à Sexto Pompejo ad Italiam navibus populandum armatam* deduci, *hoc Voltejo Menâ servo quondam fugitivo nequißimo*, hoc, *inquam* militum Tribuno, *& navium præfecto?*

ODA V.

IN CANIDIAM VENEFICAM.

AT *vero*, ô quicquid Deorum *immortalium, quæcunq; divina potestas* in cælo terras & humanum genus regit *& gubernat, quorsum ego rapior?* quid*nam* adfert *hic* tumultus, & quid*nam* omnium *vestrum* vultus in me unum *conversi sunt? quidnam omnium oculi in me unum miserrimum puerum truculenti, & hostiles diriguntur? ô Canidia precor* per *proprios* liberos, *per pueros ex* te *genitos (si unquam liberos genuisti, & Iuno* Lucina *parturientium Dea è te invocata unquam* adfuit partibus *tuis* veris) precor *te* per

vanum

vanum hoc & inane decus *toga meæ prætextatæ &* purpureæ, *per dignitatem meam, quod ex ingenuis parentibus ortus sim, (si modo hoc te ad misericordiam flectere poterit) precor te* per Iovem *Deum optimum maximum, qui hæc scelera videbit*, improbabit, *& puniet.* Quid *autem tu ô Canidia me, tanquam* noverca *privignum, aut tanquam* bellua, *aper, lupus, aut ursa, quæ* ferro petita *& lacessita est, inmitis & truculenta* me intueris? *Quo unquam dicto aut facto te læsi aut offendi, tuamq; iram & violentiam promerui?*

Postquam miserabilis ille puer prætextatus, à Canidia reliquisq; veneficis ad supplicium raptus hæc trepidanti corpore, trementi ore, *& lamentabili voce* conquestus *est, & obtestandi finem fecit, tunc* constitit *& obticuit*; puer *nobilis & prætextatus, cui bulla aurea & toga prætextata ingenuitatis* insignia *per violentiam* erepta *erant, sine vestibus nudus, tenero* ac impubi corpore, *& quale impube corpus etjam* impia *& immania* Thracum, *aliorumq; barbarorum* corpora ad *misericordiam flectere*, mollire *& mitigare* poterant: *Ibi tunc* Canidia *instar infernalis Furiæ capitis sui capillos, totumq; suum* caput *diffusis* crinibus incomptum *& impexum* brevibus *venenatis* viperis *implexum & implicatum habens*, jubet *ficus steriles, non quasvis, sed ex mortuorum* sepulcris *& monumentis* erutas, *& ad Necromantiam aptas*; jubet cupressos *arbores inferis consecratas* & funeribus aptas; *jubet* ova, plumam, *& pennas avis* nocturnæ *& inauspicatæ* strigis sanguine, *infectis & visceribus obscenæ* ranæ *rubetæ*, turpis & *ad veneficia aptæ*; uncta *& imbuta*, & herbas quas Iolcos *Thessaliæ civitas*, aut Iberia *Ponti regio herbarum* venenatarum *& magicarum* ferax *& abundans producit*: *Et deniq; jubet* ossa, *quæ* ab ore canis *alicujus* jejunæ, *aut lupi avidi & famelici* rapta *& per vim extorta*: *hæc inquam omnia* flammis *ac incendijs magico* Colchorum ritu *per veneficia, quibus Medea usa est accensis & præparatis* aduri *& in domo accendi jubet.* At verò *altera ex Canidiæ consocijs* Sagana *venefica succincta &* expedita, *ne vestes defluentes impedimento forent*, aquas *ex* Averno *lacu quà ad inferos descenditur, petitas undiq;* per totam domum spargens *capillis suis* horridis asperis *& erectis* ut echinus marinus *piscis*, aut currens aper, *cui setæ in dorso eriguntur, aspectu horrida & formidolosa est. Tertia venefica* Veja *adjutrix Canidiæ, quæ* nulla *mali* conscientia *ab incepto scelerato facinore* abigi *& revocari* poterat, *duris ferreis* ligo-

 nibus,

nibus, laboribus *defatigata crebrò spirans & in* gemiscens, humum exhauriebat, *inq; ipsâ scrobem faciebat*, ut puer *hic ita mediotenus* infossus *miserrimo* spectaculo *& desiderio* dapis *integro* longo *æstivo* die bis vel ter mutatæ *& appositæ quidem, sed non concessæ, tandem siti & inediâ* inemori posset *& contabescere.* Cum *scilicet ipse capite &* ore *tantum è terrâ* promineret, quantum corpora *natantium, quæ* mento *in aquâ quasi* suspensa *sunt ex* aquâ extant *& prominent. Quippe volebant ipsum cibi appositi desiderio contabescere, ut ejus intestina desiderij movendi vim haberent, ut* medulla *ejus cibi desiderio exsucta, tabefacta, omniq; succo inanita, &* jecur *propter famem ac sitim* aridum *siccumq;* amoris poculum *fieret; cum nimirum ejus oculorum acies &* pupulæ *jam jam tabe consumptæ* fixæ *& immotæ* cibo *apposito quidem, sed propter defossionis impedimentum* interminato *vetito & prohibito*, semel intabuissent, *& prorsus in mortem resolutæ defecissent. Quin etjam remotæ Italiæ regiones, & civitas* Neapolis *quietis & ocij aptissimus* Romanorum *secessus*, & omne vicinum opidum *Puteolana civitas de hâc sceleris enormitate audivit*, & credidit, *illi adfuisse atrocissimam illam veneficam* Ioliam ex Arimino *Vmbrarum Coloniâ ortam, illam monstrosæ* masculæ libidinis *fœminam Tribadem, quæ instar viri cum fœminis rem habet*, quæ voce Thessalarum *veneficarum, magicisq; carminibus cæli* sidera excantata, *vexata & coacta, ipsamque* Lunam, è cælo *deorsum* rapit. Hic *tunc* Canidia *venefica dira* sæva *& detestabilis habitu insanæ ac furiosæ, squalido nigro ac* livido dente pollicem *vivæ suæ manus non* resectum *sed vivum* arrodens, *seq; ad crudelitatem exstimulans*, quid *sceleris non* dixit, aut quid *sceleris* tacuit? *Certè quæ fanda & nefanda & dira flagitia in tam atroci facinore elocuta fuit, & tandem in hæc verba prorupit*: ô nox & Diana *Hecate, quæ* rebus *artibusq;* meis *magicis* non infideles arbitræ, *sed certæ & consciæ testes estis, ô Luna*, quæ *noctem in potestate habes, &* silentium regis, cum arcana *veneficiorum* sacra *nocturno tempore* fiunt *& peraguntur: agite* nunc nunc *tandem mihi* adeste, nunc *tandem vestram* iracundiam, *vestramque* numinis *divinam vim & potentiam* in hostiles Vari domus, *qui meo amore subter habito me spernit & contemnit, convertite*: Dum *nimirum hâc silenti nocte leones, ursi, lupi, aliæq; feræ hominibus timendæ &* formidolosæ *in silvis ustris antrisq; suis* dulci sopore languidæ *fessæ ac defatigatæ* latent

& quie-

& quiescunt; ut scilicet illum Varum senem *propter hoc amoris poculum adulterum factum, & ad Suburanas meretrices nocturno tempore commigrantem canes in Suburâ vico urbis nobilissimo nocte cum reliquæ feræ dormiunt allatrent*, quod omnes *vicini* rideant, adulterum *scilicet senem* nardo *unguento venefico* perunctum, *& amoris impatientiâ excruciatum, nempe* quale *veneficum unguentum, & quale Philtrum, quod jam paro*, meæ manus *nihil magis plenè* perfectiùs *& absolutiùs, magisq; efficax unquam hactenus* elaboraverint. Quid *enim mihi* accidit *hactenus? quæ quidem venena præstantissima in Varum adhibui, sed nullo effectu?* Cur *autem* dira *venena, & atrocia illa veneficia, quibus* Medea barbara *Colchia* venefica *famigerabilis usa fuit, jam* minus valent, *& cur illis ego votorum meorum compos facta non sum? at* quibus *illa tamen Creusam magni Corinthiorum regis Creontis filiam* superbam *nobilem & potentem, quam Iason maritus secundam uxorem tanquam* pellicem *sibi Medeæ superinduxerat, postquam ulta esset curru serpentum per aëra aufugit:* Cum *nimirum* palla, *quàm tanquam* munus *Medea venefica* tabo *ac veneno* imbutam *Creusæ* nuptias *celebraturæ miserat, die nuptiali induta*, novam nuptam *cum tota domo regia* incendio abstulit *& combussit.* Atqui *nulla tamen res huc pertinens à me prætermissa fuit*, nec *ulla herba veneficijs apta, nec ulla etjam radix* in asperis *locis montibus, durisvé cautibus & scopulis* latens, *quam non cognoverim aut conquisierim* fugit me *aut* fefellit, *neq; tamen venena mea solitas vires exercent. Quippe ille Varus in illis ipsis cubilibus, quæ meis aliarumq; veneficijs peruncta & delibuta sunt, ab omnibus incantationibus tutus & securus*, oblivione *mei, & reliquarum* pellicum *omnium, in utramq; aurem* dormit. Ah ah! *jam scio quid factum sit: aliam peritiorem veneficam invenit, cujus operâ &* carminibus *magicis à meis veneficijs liberatus est, & liber ac* solutus *ab omni incantationis vi* ambulat, *per carmen doctioris &* scientioris veneficæ, *quàm ego sum. At verò jam, ô miserrime* Vare, ô caput multa fleturum, *& miserrimis modis à me subjugandum & excruciandum; tu jam* ad me non usitatis *incantationibus, insolitis veneficijs, & novis ac fortioribus amatorijs poculis coactus* recurres *& reverteris: & ita te figam* potionibus *& maleficijs meis, ut a mente ac sanitate rationis deturbatus, mentem nunquam sis recepturus: & quæ* mens *semel meis venenis alienata, etjamsi Marsos* Italiæ *populos veneficos peritissimos in auxilium adhibeas*, Marsis vocibus

& incantamentis revocata ad se & pristinam sanitatem non redibit. Majus *enim* poculum *amatorium*, majus *philtrum*, *plus virium ac facultatum habiturum, quàm illud quod hactenus*, tibi *me* fastidiosè *spernenti, parabo &* infundam *ut bibas, atq; adeo ipsum* cælum inferius *futurum quàm* mare, prius *subsidet & deorsum descendet, ipsâ* tellure *super mare, & cœlum inferiùs stratâ ac* porrectâ; *& tota rerum natura ante mutabitur*, quàm *tu*, ô *Vare*, sic meo amore non *ardeas &* flagres, *ut* bitumen atris ignibus *atrum fumum emittentibus, immissum vehementißimè inflammari solet*. Sub hæc, *& paulo post, quàm hæc elocuta fuit Canidia, prætextatus ille* puer *ad supplicium tam atrox raptus, cum videret se tam horribili mortis genere omnino è medio tollendum, jam non amplius*, ut ante *in initio fecerat*, impias *& sceleratas veneficas* mollibus verbis lenire, *& ad misericordiam flectere parat*, sed *cum desperatio ipsi dicendi libertatem addidisset*, dubius *fuit* unde *nam* silentium rumperet, *& undè aut à quibus inprecationibus loquendi exordium sumeret, diras inprecationes, & exsecrationes horribiles, in veneficas* emisit, *quales* Thyestæ, *Pelopis filij, in fratrem Atreum fuerunt (qui filios ejus interemptos dissectos & decoctos comedendos illi apposuerat) & in hæc verba proruppit*: venena, *quantumvis efficacißima multa pervertere & immutare poßint: tamen* magnum *illud* fas, *magnam justitiam & æquitatem in mundo*, & nefas *scelus & flagitium inter se confundere & mutare non possunt*, & humanam vicem *sortem & conditionem, quæ rectè facta præmijs, scelera æternis supplicijs afficit, perturbare. Nam ut vel maxima vestris præstigijs immutare poßitis, tamen fas in nefas, & vestrum hoc scelus in pium factum non mutabitis, & vestras scelerum pœnas nullâ ratione evitare poteritis. Etenim Furijs infernalibus &* Diris vos agitabo: Dira detestatio *& imprecatio innocẽtis contra sceleratum* nullâ victimâ expiari, *nullis sacrificijs deleri & expurgari poterit, hujusq; sceleris apud inferos immortales pœnas dabitis*. Quin *insuper* ubi *à vobis defossus & mori jussus per inediam expiravero, & mortuus fuero, tunc de nocte vos quiescere non sinam, &* nocturnus furor *ac insania vobis occurram, vosq; tanti sceleris conscientiâ semper agitabo, egoq; post mortem* umbra *impetum in vos faciam*, & *vestros* vultus curvis unguibus petam *& dilacerabo: nimirum* quæ umbra est violentia *& ultio* Deorum Manium, *& animarum mortuarum, ut per umbras homines sceleratos infestent*, & *ego umbra* assidens *semperq; præsens existens* præcordijs,

inti-

intimisq; animi affectionibus vestris inquietis, *& continuo* pavore *perturbatis* somnos *vobis* auferam, *vosq; scelerum & pœnarum metu dormire non sinam; Vniversa autem populi multitudo, &* turba *per singulos vicos ab omnibus partibus* hinc & hinc saxis petens *& invadens vos* anus obscenas *turpes & libidine efferatas* contundet; *& tanquam furiosas lapidibus è domibus suis abigens obruet & interimet,* Postea *autē quando populatim lapidibus obrutæ & interēptæ estis, cadaver &* mēbra *vestra* in sepulta lupi *& canes in varias partes dilaniata hic inde* differēt *& distrahēt,* & alites *in* Esquilino *colle vultures & corvi, illis nō combustis & insepultis pascentur,* neque hoc *pœnæ vestræ* spectaculum, *ô scelerate veneficæ,* parentes *meos lateat aut fallat, qui, eheu (post meam mortem* mihi superstites *futuri) insolatium hoc videant, sceleratissimas veneficas facinorum suorum promeritas dedisse pœnas.*

ODA VI.

IN CASSIVM SEVERVM.

Q Vidnam tu, *ô Cassi Severe Poëta ac orator maledice, & conviciator petulans, tanquam* canis hospites immerenteis, *minùs fortes ac innocentes maledictis ac convicijs* vexas, *allatras & dilanias, contra autem* adversus lupos, *adversus homines, qui respondendo te mordere possunt, imbellis ac* ignavus? Quin tu, si *aliquid* potes, inanes *tuos latratus &* minas huc *in me Horatium convertis ac retorques,* & me *pari acerbitate ac violentiâ, quâ mordeor,* remorsurum peris *& invadis. Nam ego Horatius, quisquis erit petulans & contumeliosus, meq; convicijs suis lacessiverit aut irritaverit, & quicunq; petulantiâ suâ tanquam fera ferocibus convitijs præcedit, illum ego tanquam* Molossus *canis ex Epiro,* aut *qualis est* fulvus *canis* Laconicus, pastoribus *contra lupos* amica vis, *& efficax defensio; talis, inquam, illam* præcedentem feram *ubiq; locorum* per altas nives, *erectâ ac* sublatâ *aure alacriter agitabo & persequar. At verò tu instar pigri ac ignavi canis,* cum *diu multumq; latrâsti & formidabili voce omne* nemus complevisti, *panem* projectum odoraris, *& facile te placari pateris, quippe qui maledicis, ut pretium accipias, quo oblato taces.* Cave *igitur* cave *tibi ô Cassi.* Nam *ubi contumelijs respondere cæpi, nec munere, nec precibus possum placari, & in morem bovis cornupeti,* cornua *mea ad*

 erien-

feriendum parata in altum attollo, in malos *conviciatores sævißimus & asperrimus: atq; adeo talis in ipsos sum,* qualis *fuit Archilochus Poëta Iambicus: cui cum* Lycamba *filiam suam Neobulam desponsâsset, & postea sententiâ mutatâ Archilochum generum sprevisset, eiq; filiam denegasset, ab Archilocho opprobrijs, & metris Iambicis una cum filiâ miseris modis laceratus, & tandem ad suspendium compulsus fuit:* aut *etjam qualis alter Poëta Hipponax fuit, qui* acer *ac sævus* hostis *fuit* Bupalo *pictori. A quo cum oris fœditate deformis pictus, & alijs ad ridendum expositus esset, carminis amaritudinem tantopere in pictorem distrinxit, ut eodem modo ad laqueum ipsum compulerit. Talis & ego hostibus meis futurus sum: nam & ijsdem armis me defendere, & adversarios reprimere possum.* An *enim ego cum Poëta sim,* si quis atro dente *invidâq; ac maledicâ linguâ* petiverit me *aut carpserit, ego non vindicatus &* inultus, *tanquam puer ad fletus & lacrumas confugiam, & secundum hostium meorum vota* flebo *aut plorabo?*

EPODOS VI.

AD POPVLVM ROMANVM.

Detestatur bella civilia.

QVo *vos ô imperij Romani proceres ac principes,* scelesti ruitis? *quo impij ferimini?* aut cur enses hactenus *in vaginâ aliquandiu tecti & recõditi, rursus dexteris* aptantur? *Nã cur bellũ civile reparatis?* Parumne *Romani* sanguinis super campis atque Neptuno *profusum est? Parumne* Latini *cruoris terrestri ac navali prælio* effusum est? *Quando tandem nefarijs hisce bellis finem imponetis? Etenim hactenus* non *eo nomine tot cædes ac strages civium Romanorum factæ sunt, ut civis* Romanus arces Carahaginis invidæ *ac æmulæ Romani imperij ac gloriæ,* superbas *& in altum exstructas everteret & incendio consumeret & combureret: Aut ut* Britannus, *armis Romanorum* nondum tactus *populus, aliquando victus, &* catenatus *in triumphum ductus* per sacram viam, *quæ in Capitolium ducit* descenderet, *& imperij Romani potentia & majestas cresceret:* Sed ut se-

cun-

cundum vota *ac desideria* Parthorum, *Medorum, aliorumq; hostium* R*omani imperij,* hæc urbs *Romana* suâ dexterâ, *suâq; vi ac potentiâ* periret *& concideret, inq; propria viscera ferrum converteret.* O in*credibilem, inauditam, & plus quàm beluinam feritatem & insaniam!* neque *enim* hic mos *inter se concertandi aut contendendi* feris lupis *aut truculentis* leonibus *unquam* fuit, nisi in dispar *genus & animal alterius naturæ aut speciei. Quando enim unquam leo fortior alteri leoni vitam eripuit? aut quonam unquam nemore aper alterius validioris apri dentibus dilaniatus interijt? Quin etjam Indicis tigribus, & draconibus infestis, serpentibus venenatis, sævis ursis inter se convenit. Quænam igitur res vos stimulat, inq; hanc civilis belli rabiem præcipitat?* anne cæcus furor, *cæca insania vos præcipites agitat?* anne vis *quædam* acrior *& violentia major quàm furor, aut invicta quædam & fatalis necessitas vos* rapit? an *verò* culpa *& peccatum aliquod hanc civilium bellorum calamitatem justâ Deorum indignatione vobis imposuit: interroganti mihi, agite,* responsum date: *nimirum Romani* tacent, & *culpæ conscientiâ convicti impallescunt, eorumq;* ora *ac vultus* albus *quidam* pallor inficit *& occupat,* mentesque *conscientiâ scelerum* perculsæ *& malè sibi consciæ* obstupescunt. *Jam scio quid culpæ sit:* sic est, *ut dicam; Dij irati, &* acerba fata Romanos *ad hujusmodi bella adigunt & impellunt,* & scelus fraternæ necis *ac cædis: cum scilicet Romulus fratrem suum Remum, quod per ludibrium nova urbis Romæ mœnia transilijsset, interemit, cum* Remi *insontis & innoxij* cruor in terram *à fratre profusus* fluxit, *qui nobis posteris ac* nepotibus sacer, *perniciosus & exsecrabilis est, & nostro sanguine per nos ipsos tot civilium bellorum cædibus ac cladibus est expiandus.*

ODA VIII.

IN ANVM LIBIDINOSAM.

O *Jocularem impudentiam!* Tene *tantam vetulam, tam longâ ætate,* longo sæculo putidam, *marcidam ac fœdam* rogare, Quid *nam sit, quod* vires meas *frangat, &* enervet, *& ad te amandam tardas reddat, ac imbecilles? Caussam enim in promptu, atq;* ade

adeo in temetipsâ habes. Quis enim te adeo fœdam, & ætate decrepitam vetulam amare sustineat? cum dentes tibi longâ senectute sint atri, turpes ac squalidi; cum vetus multorum annorum senectus frontem tuam sulcis quasi exaret, & senilibus rugis inducat; & cum deniq; inter nates tuas ætate longâ aridas & exsuccas podex turpis velut bovis macilentæ, ac cruditate laborantis extet, & deformi aperturâ hiet. Sed nimirum ad te amandum incitat me & instigat putre tuum pectus, & mammæ tuæ marcidæ, flaccidæ, & vetustate corruptæ, & qualia sunt ubera equarum pendula & laxa, & venter tuus cute rugosâ mollis ac flaccidus, & femur siccum & gracile, & exiles coxæ suris pedum morbo tumentibus atq; inflatis additæ. Egregiam verò pulchritudinem, & amari dignam. Tu igitur imposterum mihi valeas, tuisq; opibus ac nobilitate sola perfruere: esto dives & beata, tuumq; mortuæ funus stemmata & imagines majorum tuorum, qui triumpharunt, ducant, & solemni more præcedant: nec ulla alia marita aut matrona Romana inveniatur, quæ majoribus aut rotundioribus unionum aut gemmarum baccis onusta ambulet, aut ornata per plateas incedat. Hæc omnia tibi retine, nihil horum tibi invideo, quibus tu quidem instructissima. Quid, quod doctorum consuetudine tantum gaudes; quos ut ad te, inq; tui amorem pellicias te doctam esse, & severissimâ Philosophorum disciplinâ imbutam simulas, eoq; nomine libelli Stoici Zenonis, Cleanthisq; inter cervicalia & pulvillos serico panno involutos domi tuæ jacere solent. Itane verò illiteratorum indoctorumq; hominum nervi atq; virilia membra minus rigent, aut ad Veneris opus minus rigore quasi indurata surgunt & eriguntur? Et numquid censes viros doctos ad te amandam minus imbecilles esse, quos ut ad tui amorem exstimules, nefarijs osculis fellatricum more illud excitaris oportet. Falleris opinione tuâ, anus libidinosissima, dum nimirum alicujus viri litterati fascinum aut penem minùs amore tui languere existimas, quod tamen, ut à virili membro te vetulam cum superbiâ fastidiente, & ab inguine provoces atq; exuscites infacetis blandimentis opus tibi est, atq; adeo ore ac linguâ fellatricis more tibi allaborandum est.

EPODOS IX.

AD MAECENATEM.

Præ-

Præsentit voluptatem, quam percipiet cum Augustus de Antonio & Cleopatra est triumphaturus.

Usq; adeonè, ô Mœcenas *animi ac fortunæ bonis* beatissime, *lætissimus ille triumphus Cæsaris Augusti differetur?* Quando *tandem aliquando propter victoriam Cæsaris* lætus *frontem* tecum *exporrigam, &* vinum *optimum* ex Cæcubo *Campaniæ oppido, quod* ad festas epulas *tantum* repositum *& reconditum est, non nisi die triumphali Cæsaris depromendum,* sub alto *magnificarum tuarum ædium* tecto propter Cæsaris victoriam (*sic enim* Iovi gratum *visum fuit*) bibam, *inter instrumenta Musica,* ubi lyra *aliquod* carmen *cum* tibiis mistum consonet, *&* hâc *quidem lyrâ carmen aliquod* Dorium, illis *autem tibiis aliquod* Barbarum, *Phrygium, Lydium, aut Mixolydium resonantibus;* ut nuper *lætus tecum bibi cum contra Cæsarem Sextus Pompejus* dux (qui *rerum nauticarum felicitate elatus se* Neptuni filium dicebat, *& veste Cyaneâ indutus cõtra hostes depugnabat*) *in* freto navibus *à Cæsare incendio* ustis *& consumptis* actus *ac fugatus* aufugit. *Nimirum qui civibus &* urbi *Romanæ perpetuam servitutem &* vincula, quæ servis *fugitivis perditis &* perfidis (*quorum collectâ manu piraticam in mari Siculo exercebat*) *tanquam* amicus detraxerat, *interminatus fuit. Verum ad victoriam Augusti redeo, & Marcum Antonium, ejusq; æternum dedecus & infamiam.* Eheu *quanta turpitudo, quantum nefas admissum est, quod vos* posteri negabitis *in civem Romanum cadere potuisse; Feminæ Marcus Antonius princeps* Romanus: *Romanus inquam,* Cleopatræ feminæ *Ægyptiæ in manum datus &* mancipium factus *turpissimam servitutem servit; & tanquam* miles *vallum & palos ad* vallum *& munimentum castrorum* unà cum armis *suis* fert, *& desiderio externæ feminæ patriæ suæ bellum infert,* & spadonibus *Eunuchisq;, quos in comitatu suo Cleopatra habet,* rugosis *turpibus ac eviratis* servire potest. Et, ô *insignem* turpitudinem! *ipse* Sol inter signa militaria conopeum *tetre ad arcendos culices comparatum molle & delicatum, thalamis non castris aptum,* aspicere cogitur *& intueri. At tamen vel* Galli *feroces, qui in exercitu Antonij erant, duce suo M. Antonio Romano generosiores, feminæ Cleopatræ*

 servi-

servire noluerunt; sed Cæsarem *Augustum tanquam virum* canentes *ac laudantes, & ab Antonio deficientes* huc ad nos *Romanos* bis mille equos *feroces atq;* frementes *converterunt. Contra autem* hostilium navium *sexaginta* puppes *ociosæ, pugnæ eventum exspectantes in* portu à sinistrâ parte latent, *ad fugiendum* citæ *ac veloces: & Antonium unà cum Cleopatrâ rapidâ fugâ auferunt.* Iò *gloriosissime* triumphe! *Quidnam* tu *ulteriùs aureos illos* currus, *qui triumphaturo Augusto parati sunt,* & boves nullo *unquam jugo* tactos, *& ad sacrificium destinatos* moraris? Iò *gloriosissime* triumphe, *qui nullum unquam ducem vel majorem vel meliorem in triumphum eduxisti:* Neque *enim* bello Iugurthino *cum Cajum Marium triumphantem ostenderes, ducem potentiâ ac gloriâ* parem *ipsi, quem jam reportabis,* neque *bello* Africano P. *Cornelium Scipionem Africanum,* cui *ipsa* virtus *ac fortitudo* super Carthaginem *devictam monumentum ac* sepulcrum *gloriosum* condidit, *parem* ducem *& æqualem principem illi Augusto, quem jam portabis,* reportâsti. *Nimirum ille M. Antonius Romanorum* hostis *ad Actium Epiri promontorium* terrestri ac navali *prælio ab Augusto* superatus, Puniceo *coccineo militari sago* lugubre, *luridum, nigrumq;* sagum, *luctui ac fugæ conveniens,* mutavit, *Jamq;* ille *adversis tempestatibus, &* ventis non suis *neq; secundis jactandus, & quo nolet* iturus, aut Cretam *insulam Iovis patriam* centum urbibus nobilem *adit,* aut Syrtes *in sinu Africæ à* Notho *septentrionali vento turbulentissimo* exercitatas *atq; vexatas* petit, aut *incertus quo fata ferant, certo errore* incerto mari *vagatur atq;* fertur, *nesciens quâ in in maris regione aut sinu versetur. Heus igitur,* ô puer, *ut genio largiùs indulgeamus & bibamus,* capaciores scyphos huc *mihi* adfer, & *unà externa* vina Chia & Lesbia *nobilissima:* vel *etjam* Cæcubum nobis *infunde ac* metire, quod fluentem nauseam, *tedium, & sollicitudines* coërceat. *Nam omnem* curam metumque, *quem de* rebus *ac salute Cæsaris propter incertum belli eventum percepi, jam* dulci Lyæo, *& jucundiore vini potu* solvere juvat, *& relaxare.*

ODA X.

IN MÆVIVM.

Cui

Cui naufragium precatur.

NAvis illa, quæ Mævium *hominem sordidum, & hircinâ libidine olentem & fœtentem in transmarina* feret, *ac ducet, jam tandem à retinaculis* soluta, *& è statione dimissa,* malâ alite, *adverso omine, auspicio & augurio è portu* exit. *Tu vero ô* Auster memento ut utrumque *navis* latus, *dextrum & sinistrum* horribilibus fluctibus *ac procellis tuo spiritu ac impetu concitatis* verberes, *frangas, & concutias.* Eurus *autem* niger *sinister & inauspicatus funes nauticos &* rudentes, *quibus vela expanduntur, &* remos, *quibus navis impellitur naufragio in* inverso *commoto & perturbato* mari fractos *varie distrahat, & in omnes partes* differat. *Porro Septentrionalis ventus* Aquilo *immensis fluctuum globis tanquam* altis montibus, *tantus in mari* insurgat, quantus *esse solet cum* ilices, *quercus, aliasq; arbores ventorum impetu* trementes frangit *& ad terram prosternit: illaq;* nocte *tempestuosissimâ,* & atrâ quâ Orion *cœleste sidus* triste *ac infelix turbines ac tempestates in mari concitans* occidit, nullum sidus appareat, *quod tempestate laborantibus gratum &* amicum *esse solet. Atq; adeo turpis ille & maledicus* Poëta *Mævius* nec quietiore, *nec tranquilliore* æquore *in mari* vehatur, quàm *quondam vecta fuit* manus *atq;* copiæ Græcorum *Principum,* qui *Trojâ captâ atq; incensâ* victores *patriam repetituri aut naufragio perierunt, aut nudi ac egentes tandem immensis ærumnis ac calamitatibus agitati in patriam redierunt.* Nempe cum Pallas *Sapientiæ & castitatis Dea omnem suam* iracundiam ab Ilio *everso atq; combusto in Græcorum victorum,* & impiam Ajacis *Oilei* navem convertit, *quod Trojâ captâ Cassandram vatem Priami regis filiam Minervæ sacerdotem in templo Palladis per extremam impietatem ac turpitudinem per vim constuprâsset: & hoc facinore Palladem ad justam indignationem concitans, se, & reliquos Græcos in extremas calamitates præcipitâsset. At verò, ô calamitosissime Mævi, in quàm [illegible] ius adhuc naufragium tu cum socijs tuis incides! quantus autem* sudor tuis nautis, *quantus autem, & quàm* luteus, *luridusq;* pallor, & illa ejulatio non virilis, *sed fletus planè muliebris: quantæ deniq;* preces, *& vota ad* Jovem *iratum & à te* aversum tibi instant, *atq; imminent?* Cum maris Ionij sinus *ab* uvido *ac pluviali* Noto *Australi vento impulsus iterum atq; iterum murmurans &* remugiens *navi tuæ* carinam *fregerit* ruperitq;,

teq; naufragio obruerit. Quod si tu, ô Mævi marinis fluctibus obrutus fueris, & cadavere tuo tanquam pinguis atq; opima victima & præda in curvo maris litore extenta exporrecta & exposita mergos aliasq; marinas aves tuâ carne juveris atq; paveris, tunc tempestatibus sacrificabo, ijsq; libidinosus & lascivus aliquis caper, & agna nigra solemni more à me immolabitur.

ODA XI.

AD PETTIVM.

Se amore captum non posse adversus faciendos studium & operam conferre.

Quonam meo fato fieri dicam, ô Petti, quod continuis amoribus implicatus, omnibus alijs studijs valedicere cogar? Certè me amore gravi atq; vehementi perculsum, obstupefactum, & quasi mente motum nihil juvat jam, ut antea juvabat carmina & versiculos, quæ animum ab omnibus sollicitudinibus curisq; vacuum solutumq; requirunt, scribere. Amore enim perculsus sum: & qui amor in me conjurâsse quasi videtur; meq; præter omnes alios unum atq; solum aut in mollibus ac delicatis pueris, aut in puellis amandis sui flammis comburere unicè expetit, atq; desiderat. Quippe hic jam tertius annus est, jamq; tertia hiems, tertiusq; mensis December arbores suis frondibus ac folijs spoliat, & silvis suum honorem & amœnitatem decutit, ex quo in Inachiâ puellâ furere, atq; insano amore detineri destiti, ipsiq; valedixi. Heu mihi, ô Petti, quantum recordatione illorum veterum amorum doleo? quanta fabula fui, & quam multus de me sermo per totam urbem dedecoris & ignominiæ plenißimus habitus fuit? Pudet enim me tanti mali, quod furioso meo amore famæ meæ jacturam fecerim, totiq; urbi amores mei innotuerint. Pænitet etjam me conviviorum, quibus tecum interfui, & in quibus meis amoribus alijs ludum jocumq; præbui, & languor meus ex amore nimio, & profundæ cogitationes, aliūq; silentium, & spiritus gemitusq; ab imo latere, ab intimo pectoris penetrali deductus atq; petitus, amantem me arguit, & convivis reliquis prodidit. In quibus etjam convivijs ebrius secretos meos amores tibi aperiebam, &, simul inverecundus Deus Bacchus largiore potu, & mero tervi-

tervi-

fervidiore *pudorem è fronte mihi excusserat, & mea Horatij ebrij, vino calentis* arcana, *secretosq; amores ex abdito pectoris* loco, *& cordis* ... promôrat, *inq; lucem produxerat*, plorando *& lacrumis* tibi *conque*rebar, *de infelicibus meis amoribus*, candidum *meum* pauperis ingenium, *& carminis scribendi facultatem eximiam nihil momenti apud avidam meretricem habere, &* contra *ingentia ditiorum rivalium munera, &* lucrum nihil *ponderis habere, aut* valere. *Memini etjam aliquando apud te consiliũ inire de meretrice descrendâ, ejusq; contumelijs non amplius ferendis, & in hæc verba prorumpere: Non existimes, ô Petti, me non aliquando hoc meretriciæ servitutis jugum excussurum esse.* Quid si libera bilis *aliquando in* præcordijs meis inæstuet, *& iracundia omnia liberrimè proferens in meo pectore incalescat,* ut *justa* illa *de procacitate meretricis indignatio curas, sollicitudines, querelas, lacrumas: & suspiria mea, aliaq;* ingrata *amoris* fomenta (quæ malum *amoris* vulnus non levant, *sed fovent potius, & exasperant*) ventis *auferenda* dividat, *illaq; omnia dissipet, & discutiat, & ex animo meo deleat, tunc aliquando meretrici nuncium remittam, meaq; paupertatis verecundia &* pudor *liberaliore irâ ex animo meo* summotus, *cum* imparibus *ac ditioribus rivalibus de amicâ Inachiâ contendere &* certare desinet, *& Inachiam rivalibus relinquet.* Vbi *ita agere in animo meo instituceram, & postquam* hæc *irato ac* severo animo palam *coramq;* te laudaveram *atq; approbaveram, animumq; meum contra meretricem obfirmare constituceram: Cum à te, ô Petti, in laudabili proposito perseverare, &* domum ire, *adesq; meretricis non repetere* jussus *fui: Tamen ad illam redibam, &* (heu mihi, *quanta miseria est, amore meretricio implicari!*) *ebrius* incerto *ac titubanti* pede ferebar, *& ad domum meretriciam revertebar, &* ad *fores* postesq; *Inachiæ* non amicos, *sed noxios* mihi *& hostiles, & ad* dura illa limina, *in* quibus *nocturno tempore excubias agens, & in pavimento lapidibus strato dormiens* lumbos latusque *meum toties* infregi, *furioso impetu rursus ferebar, meq; ultro feminæ rursus mancipabam. Ex cujus tamen laqueis licet tandem me extricaverim, non tamen omnino amoribus defunctus sum: & quibus quidem continuis implicor.* Nunc *enim* Lycisci *pueri* amor me tenet, cui *quidem adeo tener ac delicatus est, ut* glorietur, *se* quamlibet mulier culam *corporis* mollicià vincere *& superare. Et cujus amor tantas in animo meo radices egit, ut* inde *illum exstirpare nullâ ratione possim, & ex cujus amoris laqueis*

 nec

nec amicorũ liberè *me ad*monentium *ſalutaria* conſilia, nec *eorundem* graves contumeliæ, *& contumelioſæ increpationes*, ſed alius ardor *amorq; me* ex pedire queant, *& ille* vel puellæ *cujuſdã candidæ ac formoſæ*, aut pueri *cujuſdam* teretis, *mollis, & delicati*, qui *capillos alat*; longamq; comam *aliquo* nodo religet, *& conſtringat.*

EPODOS XII.

In anum fædam, à quâ ad concubitum ſollicitabatur.

QVidnam tibi vis, *aut quid quæris, vetula fœtida, ac immunda*, mulier, *non viris, ſed horrendis & immanibus beluis*, nigrisq; barris *& Elephantibus in Æthiopia* dignisſima? Quidnam *verò tu* munera *ac precioſas veſtes*, & quid tabellas, *litteras, & epiſtolas amatorias* mihi mittis, juveni nec *ſatis firmo forti, ac valido in Veneris certamine, ut inſatiabili ac rabioſæ tuæ libidini poßit ſatisfacere*: qui *etjam fœditatem tuam perferre nequeat, cùm* naris *obtuſæ, ſtupidæ, &* obæſæ non ſit, *ut fætorem tuum percipere non poßit. Nares nam*que *ſatis acutæ & ſagaces mihi, Nempe qui unus ac ſolus longè* ſagaciùs odoror, *naribusq; percipio, an quis morbo nares fœtentes habeat, & num alicui putris naris caruncula* Polypus *dicta in naribus reſideat*: an *verò odor* gravis *& intolerabilis, tanquam olidus* hircus *aut caper, ex fœtido ſudore* ſub alis *axillisve* hirſutis *& hiſpidis pillis obductis* cubet *ac reſideat: longè, inquam, ſagaciùs naribus id odoror*; quàm *ſagax aliquis, aut* acer canis *venaticus naribus ſuis odoratur*; ubi *ſilveſtris aliquis* ſus, *aut aper* lateat. *Quanta autem & qualis, ô anus fœdisſima, tua libido, tua obſcœnitas, & turpitudo eſt!* Quis *autem, & quàm fœdus* ſudor, & quàm malus *atq; intolerabilis* undique odor *in membris tuis* vietis, *tortis, ſenilibus, marcidis, languidis, & vetuſtate corruptis crebrò &* provenit, *ubi* cum *amatoris* pene *in libidinem reſoluto & expedito in*domitam *& efferatam libidinis* rabiem ſatiare *& explere properas* & *feſtinas*: *Inq; illà inſatiabili libidine ſedandâ tanto motu te agitas, ut præ ſudore variorum colorum compoſitio de facie tuâ defluat. Neq; enim in hoc motu*, creta *ac cerusſa, quâ faciem tuam ſenilem candidam reddidiſti, ex ſudore* humida *reddita*, & color *vultus tui, fuco ex ſtercore terreſtris*

restis Crocodili tinctus & coloratus jam amplius manet in illis membris, sed unà cum sudore defluit. Iamque adeo libidine ardens obscœno corporis motu instar suis subando lectum & cubilia intortis funibus tenta, & lecti tecta atq; stragula discumpis. Et quidem adeo fœtida ac immũda cum sis, me ad tui consuetudinem pellicere conaris, quodq; tuam turpitudinem cum fastidio abominer, quàm iniquo animo ferre soles! & quàm vel sævis & maledicis verbis mea fastidia, & tedia, quæ de turpitudine tuâ concipio agitas & insectaris, cum sæpè indignabunda in hæc verba prorumpis: In Inachiâ puellâ tuâ, ô Horati, ejusq; concubitu atq; amore tu minus langues, atque in me, & apud me viribus imbecillior es, quàm apud illam. Quippe qui Inachiam, unà nocte ter inire potes, & apud ipsam satis fortis ac robustus es, in Veneris prælijs: mihi contra semper vel ad unum amoris opus mollis es, & imbecillis Malè autem pereat lana illa Lesbia, quæ mihi dum quærerem aliquem juvenem firmum, validum, & robustum in Veneris prælio instar tauri, mihi te Horatium ignavum, imbellem, & inertem, & ad amoris opus parum validum demonstravit: Cum Amyntas juvenis aliquis ex Cò insulâ validus & robustus mihi, quem propter te dimisi, adesset. Nimirum cujus membrum & nervus firmior & constantior erat in inguine muliebri indomito, & inexplebili, quam nova arbor altis actis radicibus collibus, & æditoribus locis inhærere solet. At verò, ô Horati, ne existimes me gratis tuum concubitum expetijsse; Age quisnam ille fuit, cui vellera ac vestes purpureæ ex lanâ Tyrijs muricibus iterum tinctæ, & bis cocco imbutæ præparabantur, & properè conficiebantur? Nimirum tibi; inq; tuam solius gratiam: Vt nimirum tu omnium æqualium dici posses fortunatissimus, tuæq; sponsæ carissimus, nec ullus conviva inter æquales foret, quem mulier sua magis diligeret, quàm ego te diligo, & ut ita ex amore pariter, & muneribus meis laudem invenires. Heu misero & infelici mihi, quàm tu tanto sternis fastidio, imo quàm tu fugis & aversaris, non aliter ut agna pavida acres & feroces lupos, & hinnulcus aut caprea cum pavore leones pavet, fugit, & devitat.

EPODOS XIII.

AD AMICOS.

Hie-

Hiemem voluptatibus traducendam.

ANni tempus, & aëris constitutio tempestuosa & inamœna, admonet nos, ô amici sodales, ut frontem exporrigamus, inq; lætis conviviis & commessationibus hilariter & jucundè vivamus. Etenim horribilis & pluviosa tempestas cælum in nubes contraxit & obscuravit, & imbres nivesque Iovem aëra in nubes contractum, & in guttas condensatum, secum deorsum ducunt & præcipitant. Nunc etiam mare turbidum & procellosum, nunc silvæ & arbores Aquilone Boreali vento frigidissimo à Thraciâ nobis afflante agitata personant. Quare, ô amici sodales occasionem aliquam lætè hilariterq; vivendi de hoc die tristi & ingrato arripiamus, ejusq; inamœnitatem hilaritate & lætitia compensemus, & dum adhuc validi sumus, & robur ac genua corporis nostri virent & vigent, dumq; adhuc per ætatem licet & decet, genio indulgeamus, & à fronte tristi, obductâ, & in rugas contractâ senilis severitas & morositas solvatur ac removeatur. Tu igitur ô sodalis jucundissime, in lætum convivij usum, antiquissima vina in horreis & apothecis move & deprome, quæ ex uvis expressa & in cados effusa sunt meo consule L. Manlio Torquato, quo ego Horatius natus sum, teq; ad hilaritatem expedi, & cetera ad læta convivia nihil pertinentia loqui desine. Hæc enim de quibus tu sollicitaris, Deus fortassis benignâ quâpiam vicissitudine in antiquam sedem ac statum, prioremq; tranquillitatem reducet. Nunc enim de talibus rebus curas & cogitationes molestas suscipere tempus non est; quin potius juvat nos animo hilares esse, & unguento Nardino ex Persiâ & Assiriâ, (cui Achæmenes rex quondam imperavit) advecto, perfundi, animosq; ac pectora nostra fidibus & chordis lyræ à Mercurio Cyllenio inventæ, diris curis ac sollicitudinibus sublevare: ut quondam nobilis ille Centaurus Chiron Saturni filius Citharœdus & vates alumno ac discipulo suo Achilli jam grandævo ac adulto fidibus canens imperavit, eumq; sequentibus verbis ad lætitiam hortatus admonuit: ô Achille invicte & Stygijs undis à matre immerse, & toto corpore invulnerabilis; & mortalis tamen & vulnerabilis eâ corporis parte, quâ mater te Stygiæ paludi immergens, te manu tenuit, & quam aqua infernalis à manu impedita non attigit: ô puer, qui è Thetide marinâ Deâ Nymphâ, & Peleo natus es: tellus illa Trojana, quæ Assaraci regis quondam fuit, tibi exitio futura est; teq; ubi

manda-

moriaris, quamvis prius per te evertenda, manet *&* *exspectat, tellus*, *inquam*, quam frigida flumina *Xanthi aut* Scamandri parvi *fluvij* *Troados* findunt *&* *dividunt*, & lubricus *ille labilisq́;* *fluvius* Simois. *Nimirum* ex quo *loco* Parcæ *dum* certo *vitæ tuæ* subtemine *fila tua* rupêrunt reditum *in patriam* tibi *abstulerunt & denegarunt*, nec *marina Dea* Cærulei coloris *Thetis* mater *tua*, te *inde per mare* domum revehet, *& reducet*. Illic *igitur*, *in loco fatali ubi fueris*, omne *illud* malum vino & cantu, quæ *tristium ac* deformium ægrimoniarum dulcia alloquia *& solatia*, *& certissima remedia esse solent*, *mitius reddes*, *& sublevabis*.

EPODOS XIII
AD MAECENATEM.
Se ob amorem Phrynes, Iambos non absolvere.

SÆpe *quærendo & interrogando pœnè me* enecas, *Vir candidissime & optime*, C. *Cilni* Mæcenas, *quidnam sit* cur mollis *illa* inertia, *& laborum impatiens ignavia tantas in animo meo radices egerit*, tantamq́; oblivionem *intimis* sensibus *ac præcordijs* infuderit, *atq́; immiserit*, *promissiq́; carminis adeo oblitus sim*, ut si fauce aridâ *ac sitiente* pocula *ex Stygiâ palude bibens* hauserim, quæ *inexpugnabilem dormiendi necessitatem*, *cum oblivione omnium rerum conjunctam*, *atq́; adeo* Lethæos somnos *gignerent & adducerent*. Non *ego in causâ sum*, *o Mæcenas*, *sed* Deus est, Deus, *inquam*, *est Cupido*: nam *ille* Iambos inceptos, (*quod* carmen *tibi* quondam *a me* promissum *est*) ad *finem ad* umbilicum *perducere*, *& carmen aliquod suis numeris absolutum elaborare cōtinuis amoribus* vetat me *&* prohibet. *Id quod etjam ante me præclarissimis viris usu venisse constat. Nam festivissimum illum Poëtam Lyricum* Anacreonta ex Teo *Ioniæ civitate oriundum puero* Samio Bathyllo, *quem in delitijs habebat*, non aliter, *quàm ego jam*, *amore* arsisse *atq́; insanysse* dicunt. *Nimirum* qui ad *lyram aut* testudinem *concavam pueri Bathylli* amorem *adversum* pedes *ac numeros* nullo studio *aut industriâ* elaboratos, *sed simplici facultate effusos*, persæpe *deflevit*, *& gemebundâ voce cantavit*. *Quid. quod tu Mæcenas* ipse miser *amore flagras &* ureris. Quod si non

E pul-

pulchrior *amoris* ignis Ilion *à Græcis* obsessam *& captam* accendit, *inq; cineres redegit: si inquam Helena, quæ à Paride rapta Trojam urbem ferro ac flammis consumsit, pulchrior non fuit, quam* Terentia *illa puella, quam tu deperis:* est *profecto*, quod de sorte tuâ *& puellâ adeo formosâ magnopere* gaudeas. *Ego certè Horatius, neq; ejus dignitatis, neq; felicitatis sum, ut tecum de amoribus concertare possim. Nam Phryne* libertina *illa sui amore torquet* me *atq;* macerat, & quæ *tamen meretricum more, me* uno *& solo amatore* contenta non est, *sed mihi cum multis alijs communis est.*

ODA XV.

AD NEÆRAM.

Non servatam ab eâ fidem conqueritur.

NOx erat, *ô Neæra*, & cælo *claro ac* sereno luna inter *reliqua* minora sidera fulgebat, *& resplendebat*, cum tu *magnorum* Deorum *scelerum atq; perjuriorum vindicum* numen læsura, *& pejeratura, conceptis verbis juramentum mihi præstares*, inq; mea verba, *quæ proponebam* jurares. *Nimirum cum in complexu meo* lentis brachijs *collo meo* adhærens *tuisq; ulnis* arctiùs *me constringens*, quàm ilex *arbor glandifera alta &* procera *ab* hederâ *implicatur, &* adstringitur, *sanctissimis verbis adfirmares*, hunc amorem *inter te & me semper* mutuum *& reciprocum* fore, *æternumq; duraturum*, dum lupus pecori, *& stabulis hostis insidiaretur, &* sydus *cæleste* Orion *ortu & occasu suo* infestus, *tempestates excitans, &* nautis *exitialis pluvijs ac procellis concitatis* hibernum, *tempestuosumq;* mare perturbaret, & aura *ventusq;* intonsos Apollinis capillos agitaret, *atq; adeo* hunc *mutui amoris* affectum *nullo tempore interruptum iri. At verò*, ô Neæra *cum me perjura tam nefariè deserueris, haud speres, te impunè illud habituram: quippe, quæ, ubi tibi semel valedixero* propter meam virtutem *& constantiam, quondam* multùm *dolitura es*: Nam si quid *virilis sanguinis* in Q. *Horatio* Flacco *reliquum* est, non *ille æquo animo* feret te potiori *& digniori habito rivali* assiduas noctes dare *& concedere*, cumque *ipso continuò pernoctari & concumbere, sed justâ indignatione offensus &* iratus, *aliquem* parem *sibi* quæret, *cum tu di-*

tu dispar sis, & amantem mutuò amore non redames. Nec est, *quòd speres me ex aliorum amantium adfectu post litem & iracundiam denuò tibi supplicem futuram. Nam* si certus dolor, *& vera indignatio animum meum altiùs aliquanto subierit, &* intrârit, *animi mei firmitudo &* constantia *à pulcritudine tuâ nunquam superabitur, nec* formæ *tuæ denuo* cedet *& manus dabit,* cum semel offensa, *& invisa mihi* fuerit. At tu, quicunque *tandem* es *æmulus & rivalis meus, meq;* felicior *dum ego excludor admitteris,* meoque *damno ac* malo (*quod à Neæra spretus & ejectus sim, & tu contra* jam *in gratiâ sis*) superbus *atq; inflatus* incedis, *heus; omnium rerum vicißitudo est, neq; isthæc tua felicitas perpetua futura est, si rectè puellarum animum pernovi.* Licet *enim* ditissimus sis *multo* pecore *pariter* multâque tellure, & *aurifer ille Lydiæ fluvius* Pactôlus tibi fluat, *inq; tuam solius gratiam aurum volvat: Licet etjam Sapientißimus sis,* nec *Sapientis illius* Pythagoræ *totties per regenerationem* renati *secreta,* & arcana *Sapientiæ abdita* te fallant *neq; fugiant: Licet* denique *corporis* formâ *ac pulcritudine ipsum* Nirea vincas, *qui teste Homero, omnium Græcorum formosißimus fuit, quotquot ad Trojam profecti sunt; licet, inquam, ditißimus, sapientißimus, formosißimusq; sis; tamen* (eheu, *quanta mulierum inconstantia*) *brevi Neæra tibi valedicet, alteriq; cuidam* amores, *animumq; suum concredet, & (cum jam me superbè irrideas, amores Neæræ* ad alium *amatorem novum* translatos *esse ægerrimè feres,* ac mærebis, & ego vicissim *te* irridebo, *ubi ab illâ spretus, atq; exclusus fueris.*

ODA XVI.

AD POPVLVM ROMANVM.

Queritur civilium bellorum finem non esse.

QVousq; tandem hæc civilium bellorum rabies in nostræ Reip. damnum & perniciem sæviet? nunquamne huic civili tumultui finis ac modus statuetur? jam *à Marij ac Sullæ temporibus, qui civilibus discordijs Remp Romanam perturbarunt,* altera ætas bellis civilibus *atteritur & consumitur,* & ipsa *urbs* Roma *suâ magnitudine laborans, inq; propriam perniciem potens facta,* suis viribus, *mutuisq; cædibus* ruit *& perit: atq; adeo* quam *urbem* perdere non potuerunt

Marsi populi Italiæ bellicosissimi hostes finitimi duce suo Propedio, aut Porsennæ regis Hetruscorum, qui urbi, nisi Tarquinium ejectum reciperent, exscidium minitabatur, valida militum manus & copia: quam etjam urbis Capuæ, quæ Romæ urbis æmula fuit, eiq; se imperium eripere posse speravit, magna virtus & potentia; nec acer ille septuaginta quatuor gladiatorum dux Spartacus, qui ludo Lentuli egressi ingenti servorum manu coactâ grave prælium cum Romanis gessit; quam etjam neq; Galli Allobroges rebus novis studentes leves & infideles, & quam deniq; ne fera quidem & indomita Germania militibus suis cæruleis & trucibus oculis stupendis tot eruptionibus factis, & Annibal ille, qui bello Punico secundo propter incredibilem crudelitatem, & odium Romani nominis æternùm majoribus nostris exsecrabilis & abominatus fuit, domuit & subegit: Illam, inquam, urbem nos Romani ipsi sanguinis in mutuam cædem mortemq; devoti quasi, & destinati impiâ & sceleratâ ætate nati perdemus, urbisq; Romæ dirutæ, inque cineres redactæ solum incultum & vastatum à feris, ut ante urbem conditam rursus occupabitur, lupisq; denuò latebras & receptacula præbebit, & (eheu) Barbarus victor, super cineres dirutæ & incendio vastatæ urbis insistet, & eques urbis solum equi ungulâ sonante verberabit, & superbè per urbis desolatæ rudera equitabit, & ossa & reliquias in sepulchro Romuli Quirini, quæ in terram condita nec Solis calore, nec flatu aut vento perturbari possunt, quæq; ab hominibus conspici & videri summum nefas est, per summam insolentiam demolietur dissipabit & turbabit. At verò vos, ò Romani cives, fortè communiter & generatim omnes, aut saltem melior & prudentior pars inter vos quæritis, quid expediat vobis aut prosit, ut hisce malis ærumnis ac laboribus civilium bellorum carere possitis: certè nulla melior horum tot malorum fuga, quàm in fugâ: velut quondam Phocæorum civitas Ioniæ profugit, quæ quod ab Harpage Cyri præfecto in servitutem redacta esset ægerrimè tulit, & navim conscendens massam ferream in mare demersit & exsecrationibus adstricta, juravit se non prius in Phocæam patriam reversuros, quàm massa hæc sponte è fundo emergens supernè aquæ innataret, suamq; patriam, agros, atque lares proprios, & focos, arasq;, Deorumq; fana apris & lupis rapacibus inhabitanda reliquit. Sanè nulla sententia, nullumq; consilium, hâc sententiâ & consilio Phocæorum melior aut potior sit: nimirum ire & fugere terrâ ac mari, quocunque pedes ferant,

quo-

quocunque per *maris* undas *rigidus ille ventus* Notus, aut protervus *petulansq;* Africus *nos ducet aut* vocabit. *Siccine vobis* placet, *ô Romani*: anne *aliquis vestrum* melius *quid* habet, *quod* suadere *possit? certe hoc consilium omnium optimum. Atq; adeo* quid moramur, *aut cessamus adhuc*, secundâ alite, *prospero omine, auspicio, & augurio* ratem occupare, *navem conscendere, & longissimè profugere?* Sed *exemplo Phocensium conceptis verbis* in hæc *verba sequentia* juremus: ne *tunc* nefas *sit nos in patriam* redire, *ut tum demum fas* fit *Romam repetere*, cum saxa *ex* imis *aquarum* vadis *suâ sponte sursum* elevata *in aquis superne* renataverint: eve *tum demum navibus* domum *redire*) *&* lintea *velaq; navium domum versus in patriam* conversa dare pigeat, quando Padus *citerioris Galliæ fluvius, ad* Matini *montis Calabriæ verticem pervenerit, ejusq;* cacumina *flumine suo attigerit &* laverit: seu *quando* excelsus *ille mons* Apenninus *ab Alpibus ortus mediam Italiam dividens longo intervallo à mari distans* in mare procurrerit: vel *quando ad* mirabilis amor per *novam quandam & inauditam* libidinem *dispares inter se feras* conjunxerit, *&* nova monstra *in naturâ produxerit*, ut *ipsas immanes* tigres *feminas* cervis *masculis* subsidere *& succumbere, seq; , ut cum ijs misceantur, subjicere* juvet; & *ut* columba *à* milvio per adulterium *sese* pollui patiatur, nec armenta *boum & equorum* credula *atq; imperterrita* flavos, *& immanes* leones *amplius* timeant, & *ut* hircus *qui hirsutus erat* levis *factus*, in salso æquore *sedem suam habere* amet. Hæc & *consimilia alia*, quæ *in patriam* reditus *naturâ quidem* dulces, *sed ob bella ingratos omnino* abscindere poterunt, *ubi* tota *Romana* urbs exsecrationibus *usa juraverimus, omnes hinc properè* eamus *& migremus*, aut *saltem* melior *ac sapientior* pars *urbis Romæ*, quàm indocilis grex *vulgiq; multitudo. Contra autem* quicunq; mollis *& ignavus est, omnemque* spem abjecit, *ille hæc urbis Romæ loca tanquam* cubilia *infausta &* inominata, *perpetuo* premat, *& Romæ miserrimè æternum delitescat.* Vos *autem sapientiores*, quibus *virilis* animus *& constantia* est, *propter deserendam patriam non lugete, sed omnem* luctum *mulieribus convenientem* tollite, & *maris* Hetrusci littora, *navibus celeriter* prætervehimini *&* volate. *Etenim* Oceanus *ille* circumvagus *totiq; terræ circumfusus, ut à nobis navigetur* manet *& exspectat* nos. Peramus arva *illa* beata, arva, *inquam*, & divites *atq; fortunatas super*

Britanniam insulas, ubi *perpetuum aureum sæculum; ubi* quotannis tellus inarata *sine rustico labore* Cererem *ac messem copiosam* reddit; ubi vinea *nullo labore culta, nec à vinitore* putata semper floret *&* *fructum profundit*: ubi olivæ, quæ *domini sui spem* nunquam fallit, *ramus ac* termes *semper* germinat *ac pullulat*, & ficus *jam subnigra*, pulla *& matura* suam arborem *decorat atq; exornat*: *ubi dulcißima* mella ex *concavâ aliquâ* ilice *arbore* glandiferâ manant *& distillant*: *ubi* lympha levi *murmure & meatu* pedum *leviter* resonante *ex altis* montibus deorsum *cadit &* desilit: Illic capellæ non jussæ *aut coactæ, sed sponte suâ* ad mulctra veniunt, *& lac copiosum præbent, aliusq;* ovium & capellarum grex *carus &* amicus *domino suo* ubera *ex pascuis domum* refert *lacte plena ac distenta*: *nec gregibus aut armentis ullum à feris periculum*, nec ursus vespertino *tempore* circum ovile ge*mitum edit & obambulat, neq; ullas insidias ipsi struit*: ubi alta *etjam aut edita* humus *venenatis serpentibus aut* viperis *inclusis* non intumescit. Et *in quibus adeo beatis insulis nos* felices plu*ra alia ad*mirabimur, quomodo aquosus *ille ventus* Eurus *copiosis pluvijs &* largis imbribus *ibi* arva *agrosq;* non radat, *neq; nimio frigore & tempestate vexet*: *quod ibi* pinguia semina, *quæ in terris germinare ceperunt, æstivo tempore* glebis *terræ calore solis* exsiccatis non urantur *aut corrumpantur*: cum utrumque *anni tempus æstatem & hyemem* rex *ille* cœlitum *Iupiter ita* temperet *& moderetur*. *Quæ etjam Insulæ ab omni hostili incursione, ab omnibus veneficijs, ab omnibus mercatorum imposturis securæ sunt*, Non *enim* navis *illa ex pino*, cum *talibus* remigibus, *quales in* Argo *navi erant principes Græciæ duce Iasone ad rapiendum aureum vellus* huc *cursum suum direxit & contendit*. Neque *etjam ulla venefica, qualis Medæa, Ææta regis* Colchi *filia* impudica, *quæ propter Iasonem patriam suam prodidit*, pedem *huc* intulit: *Tyrij etjam &* Sydonij nautæ huc *navibus* non *venerunt, aut mercaturæ gratiâ antennarum* cornua *converterunt*: nec *deniq;* socij Vlyssis, *qui multos* labores *& ærumnas* perpessi *sunt, navibus in pelago errantes, huc penetrârunt*. *Vbi* nulla *pestilentia, nullus morbus, nulla* contagia pecori nocent, *&* nullius *Syrij, leonis, aut alterius* astri *immoderata violentia, &* impotentia, æstu *suo* gregem conficit *& macerat*. *Nimirum* Iupiter illarum *fortunatarum insularum* litora pijs *hominibus &* gentibus *inhabitanda* secrevit, postquam *vetus*

au-

aureum sæculum æreò *sæculo deterius reddidit, & inquinavit.* Æreo, *inquam, sæculo; Sed* dehinc *post æreum sæculum nostra tempora* ferrea *fecit, & hæc* sæcula *armis, ac gladijs* dura *atq; immania* reddidit. Quorum *duorum sæculorum* pijs hominibus, *qui adhuc pauci restant, me* vate, me *prædicente, suasore, ac impulsore,* secunda fuga, *ac prospera migratio à Dijs immortalibus* datur *& conceditur.*

ODA XVII.

AD CANIDIAM VENEFICAM.

Quam se exorare fingit, & mirè lacerat.

HEi *misero & infelici mihi! Quonam insania & furor me rapit? quonam miseriarum redactus sum?* Iam *tandem, ò divina Canidia, concedo te multum posse;* jam efficaci *tuæ* scientiæ *magicæ* manum do, *neq; ab illâ victum lubens fateor, culpam deprecor,* *veniamq; peto,* & supplex oro per regna *inferorum reginæ* Proserpinæ *præsidis Magicæ artis sanctißimæ, oro* per Dianæ *vel Hecates artis Magicæ inventricis* numina non movenda *aut irritanda:* Oro per libros carminum *& incantationum tuarum,* quæ *etjam* sidera è cælo *avulsa &* refixa de*orsum in terram* vocare valent, parce tandem, *ô* Canidia, vocibus *illis* sacris, *& exsecrandis illis carminibus in meam perniciem recitandis, illumq;* turbinem *& rhombum Magicum* citum *& velociter in se revolutum, in contrariam partem* retro volve *& converte, meq; amentiæ nexibus, quibus mentem meam illigâsti, libera. Quamvis enim atroci injuriâ à me læsa sis, te tamen exorari patieris, summorum virorum exemplo, qui suis hostibus tandem reconciliati sunt.* Nam Telephus *Mysorum rex Herculis filius,* Nerei *ac Doridos ex Thetide filiâ Nymphâ marinâ* nepotem *Achillem ad misericordiam* commovit, in quem *paullo ante copias &* agmina *militum suorum* Mysorum *tanquam dux insolens &* superbus duxerat, & in quem *sagittarum & hastarum suarum* acuta tela torserat, *& ad Trojam cum reliquis Græcis ire prohibere voluerat. Vbi cum Telephus adeo graviter ab Achille vulneratus esset, ut ex oraculo sanari non potuerit, nisi per illum, à quo vulneratus esset, placatus Achilles hastæ suæ ferrugine vulnus illud curavit. Idem A-*

chil-

chilles etjam Trojanis hostibus gravißimis se placabilem exhibuit. Qui cum Hectora interemtum insepultum abjicere obstinato animo proposuisset, Priami muneribus ac precibus ad misericordiam permotus, patri filii cadaver sepulcro reddidit. Et sic illud cadaver Hectoris, (qui homicida multos Græcorum interemerat) quod paullo ante ab Achille, feris, altibus, & canibus dilacerandum addictum, & destinatum erat, Hecuba, Andromacha, Creusa, & reliquæ matronæ Trojanæ abluerunt, & inunxerunt, atq; honorificè sepeliverunt; postquam rex Priamus urbis Trojanæ mœnibus nocturno tempore relictis (eheu, tantus rex) ad pedes Achillis in sententiâ suâ obfirmati, & pervicacis supplex procidit. Nec est quod objicias mihi illa virorum exempla nihil ad te pertinere. Nā famigerabilis illa sacerrimæ vestræ artis magistra Circe, Solis filia ab Vlysse exorata, quos ratione spoliatos in porcos trāsmutârat, pristinæ formæ restituit, & sic volēte & consentiēnte Circe remiges sociiq; Vlyssis illius, qui multos labores in mari exantlaverat, membra porcorum setis obducta atq; aspera exuêrunt unà cum duris asperisq; pellibus; eisque mens & ratio, & vox sonusq; hominis, & notus honor pristinæ humanæ formæ in vultum atq; faciem relatus fuit, & restitutus. Tu quoq; horum exemplis, ô pulcherrima Canidia, quæ à nautis, institoribus, & vilibus cerdonibus in magno semper precio habita, multumq; amata fuisti, miserrimo mihi, supplici tuo ignosce, meiq; miserere. Quippe satis superque pœnarum tibi dedi, cum per te ad pallorem & maciem miserrimè redactus, deq; sanitate rationis deturbatus sim. Etenim omnis juventus, omnis juvenilis ætatis decor, hilaritas, & pulcritudo per te aufugit; & color ille, qualis est in verecundis pueris rubicundus & purpureus ossa tantum mihi reliquit, quæ pallidâ, deformi, atq; luridâ pelle amicta integuntur, tuisq; odoribus, unguentis, philtris, & veneficiis canities mihi obtigit; capillus meus albus est, continuisq; mœroribus excrucior, & ab assiduo animi & corporis labore nullum otium me removet & reclinat, nulla intermißio aut quiescendi potestas me liberat. Adeoq; nox urget diem, dies urget noctem, diurno labori nocturnus, nocturno diurnus succedit, neque mihi vel tantillum est quiescere, vel tantillum datur respirare, nec præcordia quamvis spiritu distenta respiratione, levare aut reficere mihi licitum. Jam ergo miser ego tandem magnis ærumnis convincor ut credam, quod hactenus negavi, nimirum carmina Sabellæ Canidiæ vim habere, qua hominum animos atq; pectus

incre-

increpare, *graviter adficere, & perturbare poßint,* & Marsis nænijs, *& incantamentis* caput *viri alicujus in diversas partes* dissilire, *& frangi.* Quid amplius vis *aut cupis, ô* Canidia? *Victum me à te fateor, tuiq́; amoris flammis medullitùs comburi & absumi. O cælum? ô* terra; ô maria *Neptuni? Tantum ego Canidiæ desiderio æstuo &* ardeo, quantum neque Hercules *in Oetâ monte arsit, cum Iolen aliam conjugem ducturus vestē Neßi ab uxore Dejanirâ missam induisset (quā Centaurus ille, quòd Dejaniræ vim inferre vellet, venenatis sagittis confossus ab Hercule, moriens velut amoris irritamen dolosè in Herculis perniciem Dejaniræ dederat) & atro* Nessi cruore, *& venenato tabo, quo vestis illita,* inunctus, *& inflammatus esset: quantum etjam* non *ardet* virens *illa, nunquamq́; languens vel moriens* flamma in Ætnâ fervido Siciliæ *monte. Interea* tu, *ô Canidia, tuis amoris flammis ulteriùs me urges, & tanquam fabrilis quædam* officina, venenis, quibus *Medea* Colchis usu *fuit, & quæ tu continuò in meam perniciem concoquis) semper* cales, *& ardes,* donec *amoris flammis in cinerem redactus,* aridusq́; pulvis *redditus, ab* injuriosis *atq; petulantibus* ventis *omnino* differar, *& variè dißipar. Atqui, ô Canidia,* quænam *tandem* finis *horum malorum à te mihi statuetur?* quodnam stipendium, *aut quæ tandem condigna pæna à te* manet me, *& exspectat? tu tantum* effare, *& dic quid cupias, omnes enim* pænas, quascunq́; jusseris, fideliter luam, *&* paratus *sum culpam meam pænâ* expiare, *quocunq; tandem modo volueris;* sive poposceris *integram Hecatomben in sacrificium tibi offerri, aut* centum juvencos *tibi immolari; sive etjam jusseris* ut *carminibus meis te exornem, &* mendaci *ac falso* carmine ad lyram te sonem, *& tuas laudes canam: tum,* tu *ô Canidia, tanquam casta* proba & pudica *falso carmine à me laudaberis, inq́; cælum laudum elogijs attolléris,* & *in stellarum numerum referéris, & tanquam* aureum *aliquod* sidus per *reliqua* astra ambulabis. *Meritò autem mihi, si non propter alia, saltem propter carmen hujusmodi ignosces: nimirum quod olim Dijs immortalibus infensis & infestis homines reconciliare potuit. Cum enim Stesichorus Achivorum in patriam reditus carmine descripsit, & Helenam, quæ una suo adulterio tam diuturni belli causam præbuisset, infamiâ notaßet:* Castor & frater magni Castoris Pollux vice *& gratiâ sororis suæ* Helenæ infamiâ notatæ offensus *atq; iratus, Stesichorum excæcavit. At verò cum Stesichorus palinodiam cecinisset, & duorum fratrum misericordiam imploràsset* precibus *& supplicijs*

 Stesi-

Stesichori victi *fratres adēta lumina vati* restituērunt. Tu quōque, ô *Canidia, illorū exemplo* solve *& libera* me à demētia; nam *tu una &* *sola* potes, *ô Canidia optima & integerrima. Jam enim* non *dicā, quod* tu *majorū tuorū turpitudine deformata, nec quod* paternis sordibus obsoleta *sis*, nec *quod* prudens anus *& artificiosa ac callida venefica sis, ad* pulveres *cinerum mortuorum è combustis cadaveribus* ex sepulchris *eruere* post novem dies, *ex quo cadavera combusta sunt, & pauperum monumenta* dissipare, *& mortuorum ossibus collectis veneficia exercere; Etenim* pectus tibi *est mite &* hospitale, *animus bonus & benignus*, & manus puræ, *& nullo sanguine maculatæ*: & Partumiejus, *quem alij dicunt filium tuum esse suppostitium*, *verus* tuus venter, *tuus partus, tuusq́ filius est*, & quandocunque *tu tanquam* fortis *& valida* puerpera *partu edito è lecto* exsilis, *ibi, non ut alij mentiuntur, tu partum mentita es, sed* obstetrix pannos *tuo* cruore rubros, tuo *tabo, in tuo puerperio maculatos* lavit, *& à sordibus purgavit*.

CANIDIA.

QVidnam *tu, ô Horati*, auribus *meis* obseratis; *surdis, & occlusis sollicitas* precationes *recitando* profundis, *& me precibus tuis defatiges, non audituram; quæ nullo modo, nulla ratione placari aut reconciliari possim. Etenim* Neptunus *ille & mare* hiberno tempore *procellosum* non tundit, *atq́ verberat* alto *salo, commotis fluctibus, & ingenti jactatione & agitatione* saxa, quæ *naufragio laborantibus &* nudis nautis surdiora sint, *eosve laborantes minus exaudiant, quàm ego te & tuas preces. Egone enim committam*, ut tu *impunè ac* inultus Cotyttia *sacra, eorumq́ secreta & arcana, quæ ubi sub silentij fide tanquam mysteria concredideram*, ridendo evulgaveris? *nempe, quæ Cotyttia* sacrum *quiddam fuerunt* Cupidinis *atq́ amoris* liberi, *nullaq́ lege, nullo pudore à libidine revocati: egone committam*, ut *tu, qui tanquam summus arbiter, summus censor, præses & Antistes, & quasi* pontifex, *maximeq́ conscius fuisti* veneficiorum *illorum, quæ in* Esquilino *colle nocturno tempore peregimus, illis omnibus incontinenti linguâ disseminatis me in totâ civitate fabulam efficeres*, meoq́ nomine urbem

bem impleres? *Nihil autem erit, quod te hisce ærumnis & calamitatibus poßit eripere. Mea enim vis & potentia illud omne vincet ac superabit.* Proinde quid proderit *tibi ad liberationem alias* anus *magicas in auxilium adhibüisse, & veneficas* Pelignas *muneribus datis divites reddidisse, ut te à furore solvant? vel quid profuit etjam te mortem tibi consciscere voluisse,* & toxicum velocius *& citius interimens* miscuisse, *teq; per mortem insaniæ voluisse subducere,* si tardiora fata *& serior mors, quàm tu* votis *tuis exoptes* manet te, *& exspectat; & diutius, quàm cupias victurus sis? Nimirum diuturnâ vitâ diuturna tormenta tibi perferenda sunt, tibiq;* misero *& calamitoso* vita *longa &* ingrata *in hoc* producenda, ad hoc *extendenda est,* ut semper novis doloribus *novis ærumnis & laboribus* suppetas *& sufficias, diuq; materiam suppedites, nec Achillis, Circes, aut Dioscurorum quos commemoras exemplo tibi reconciliabor hosti meo, sed Tantali, Promethei, Sisyphi, aliorumq; exemplo te æternùm puniam.* Nam pater *ille* infidus *ac perjurus* Pelopis Tantalus, *qui, quod Deorum mensis admotus arcana divûm revelâsset,* benignæ *& copiosæ* dapis, *quæ ob oculos versatur, & aquæ, quæ circa labra ipsi fluit,* semper *indigens,* optat *quidem mortem, optat* quietem *ab inediâ & siti continuâ, quâ excruciatur, sed nunquam invenit.* Prometheus *etjam, quod nimis callidus ignem ab irato Iove hominibus subtractum, hominibus furto reddidisset Caucaso monti catenis alligatus, &* aliti *Iovis aquilæ, ut suo jecure perpetuum pabulum laceranti præbeat, Iove condemnante devinctus &* obligatus optat *mortem malorum remedium, sed frustra.* Sisyphus *etjam astutißimus latro, quod Atticam latrocinijs infestâsset à* Theseo *occisus, & apud inferos ad æternum laborem damnatus,* exoptat *quidem continuò sudando & nitendo* saxum in monte supremo collocare, *& ærumnis suis finem imponere:* sed *frustra, nam saxum ubi prope cacumen montis attigit semper deorsum devolvitur; nam* Iovis *ac Themidos* leges *illud* prohibent, *quæ ipsos ad hujusmodi supplicia apud inferos condemnarunt. Tu quoq;, ô Horati, morte dolorem finire, &* modo *ex* altis turribus *in subjectum mare deorsum* desilire, modo ense *aliquo acuto ac robusto, (quales in* Noricâ *Germaniæ regione fiunt)* pectus *tuum* recludere *& aperire* voles, *sed non poteris,* & frustra tuo gutturi, *ut laqueo te suffôces,* vinculum innectes, *miserè adfectus, & diutißimè infeliciter vivens, &* fastidiosa *ac* tristis ægrimonia *semper existens. Ibi* tunc ego *Canidia contra tibi hosti victrix insultabo, &* inimicis *ac*

invi-

invisis tuis humeris *tanquam* eques *insidebo & invectabor*, meæque *immensæ efficaciæ*, *& indomitæ* impotentiæ, *ipsa* terra *locum dabit & cedet*, *nec resistere poterit*. *Turpissimum sanè foret me tanquam mundi dominam immensa posse, nihil autem contra te valere*. *Anne enim ego Canidia* plorare debeam propter exitum *& eventum* artis *meæ magicæ*, quæ *cum aliàs sit potentissima* nihil in te *potentiæ* habeat; quæ cereas imagines movere, *easq; animatas reddere* possum, (*ut tu Horatius* ipse *homo* curiosus *& infidelis* nôsti) meisque vocibus *& carminibus* Lunam è cælo de*orsum* rapere, & mortuos *igne combustos &* crematos *in vitam revocare*, *& è mortuis* excitare, & desiderij *atq; amoris* poculum *miro artificio* temperare possum.

FINIS LIBRI EPODON.

Carmen Sæculare in calce libri 3. invenitur.

HORATIVS
E. LVBINI


colorchecker CLASSIC
calibrite
mm